46

IN OBITUM

NICOLAI CIAMPITTII

ODE.



IN OBITUM
NICOLAI CIAMPITTII
ODE

IN SOLEMNI REGIÆ SOCIETATIS BORBONICÆ CONVENTU

Anni MDCCCXXXIII, III Kal. Febr.

A JULIO CAPONIO

ACADEMICO HERCULANENSI

POST FUNEBREM LAUDATIONEM RECITATA.

Qualis, recenti fervidus impetu,
Frangente nimbos Pleïadum choro,
Torrens per agros fertur, atque
Culta metit furibundus aestu;

Cui, dum, sonanti murmure vallium,
Armenta, stirpes pertrahit, acrior,
Si quid resistas, ille ab ipsis
Ducit opes animumque damnis:



IV

Talis, cruentis cincta bipennibus,
Ritu insolenti, Mors fera plurimis
Bacchata terris, nuper almae
Intulit Italiae timores.

At, si ruenti protinus italae
Fortuna terrae fortior invidas
Tardavit alas, illa, quamvis
Fessa, viros sine lege summos

Imosque, saevo laeta negotio,
Succidit. Eheu, tu quoque, maxima
Iam pars, Cïampitti, triumphi,
Perpetuo premeris sopore!

Quum te maligno vulnere perdidit
Mors, astra scandit mercurialium
Clamor virorum; fertur ipse
Aonidum ingemuisse caetus.

V

Mors unum ademit; quot tamen heu viros
Auferre visa est funere in unico!
Quorum, iuventae flore primo,
Mens, studii docilis severi,

Sacranda Musis, te comite et duce,
Tendebat almae gloriae ad arduum
Culmen, protervae quo negatum
Ferre gradum Veneris cohorti.

Sic turris aequans vertice nubila,
Impulsa diri turbinis impetu,
Quaecumque circumstant in orbem
Tecta, sua abripiet ruina.

At tu, relictam despiciens humum,
Expers periclis, astra perambulas,
Ac sedibus caeli receptus,
Colloquio Superum bearis.

VI

Tellus te ademptum flebiliter dolet,
Dumque orba tanto lumine perfidum
Incusat orcum, teque et alta
Prosequitur tua facta laude.

Nam quis Catulli tangere barbiton
Ausus, fides te doctius impulit?
Ut quaerat omnis; tune, an idem
Carmina condiderit Catullus.

Vel quis negarit, te merito alterum
A Tullio dici, ut tua legerit,
Sermone, quotquot sunt, pedestri
Scripta, viris tribuenda priscis?

Oblivioso indigna silentio,
Seu facta regum, seu tibi principum
Commissa saxis, clara semper
Temporis imperio eximentur.

VII

Te gloriae Gallus patriae tenax ,
Terrae britannae te gravis incola ,
Te suspicit Germanus , aeque
Doctus , ut et patiens laboris.

Mors ipsa, summum quae exitium omnibus,
Mors ipsa magnis utilis est viris !
Nunc Fama , rapto te , remotis
Tutior obiicibus volabit.

Dum quisque vivit vir bonus, obruta
Pars multa eorum , quae bene fecerit ,
Latet tenebris ; quas malorum
Livor amans metuit fugari.

At quum caducis liber ab artubus
Terrena linquit , fulgida prosilit
Celata virtus ; more solis ,
Quem , radios niger occuparet

VIII

Dum nimbus , austri flamine percitus,
Terris micantem reddidit ocyus.
Quacumque se extendent in aevum
Saecla , suis revoluta gyris ,

Te Fama semper penna aget impigra.
Immo bonarum quo magis artium
Succrescet ardor , maius usque
Fama tibi decus arrogabit.